










ORATIO

De Causis

Corrupti ſtudii humanitatis,

Habita

à

IACOBO

à

Vlaerdingerwout,

In

Examine Scholæ Delphenſis ipſis nonis Sextilibus

A. C. CIↃ ↃC LXXII.



DELPHIS,

Exſcripſit *Cornelius ab Heusden*, A.C. M.DC. LXXII.


KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

ORATIO
De Causis
Corrupti ſtudii humanitatis.

Ampliſſimi. IV. Viri. Litterarum. noſtrarum. Auctores. & Custodes. Principes. Civitatis. Conſules. Iudices. Senatores. Reverendi. concionum. moderatores. præstantiſſimi. Doctores. & Magiſtri. Præceptores. mei. ſemper. Colendi. Voſque. acceptiſſimi. Commilitones.

VOluptatem quod boni eſſe ſummam ſenſerit quondam Epicurus, per omnia belluæ magis, quam homini fuiſſe ſimilis à vulgo cenſetur. Injuriâ mehercules. Non corporis ille, quæ ex cibo, potu, & Venere hauritur; verum eam, quæ individua virtutis comes, mentem recti conſciam titillat, intelligi delectationem volebat, philoſophus, ſi quiſquam, temperantiſſimus. Sæpe enim numero ſe vel cum Jove de felicitate certaturum jactabat, dummodo panem & aquam haberet. Inter voluptates autem, quibus tutò & honeſtè indulgere poſſis, mihi primas poſcere illa ſemper fuit viſa, quâ vita lite-

literatorum immane quantum abundat. Quid enim? Non homo hominum, qui vivunt, beatiſſimus, qui, dum alii turbulentiſſimis negotiorum undis ſurſum ac deorſum jactantur, otioſus interim ac vacuus cum ſuis camœnis obambulat, & cogitationibus totum illud, in quo aves volitant, ſidera moventur, quod homines arant, ædificant, navigant, perluſtrans, his veluti epulis cœleſtem animum paſcit? Non profecto nectar ullum aut ambroſia ad has delicias meretur comparari. Quo magis ſtupeo, & mirari ſatis non poſſum, quî fiat, ut nos antiquos illos ſcriptores tam immenſo ſequamur intervallo, ut qui nunc doctrinæ teneant arcem, pauculis quibuſdam exceptis, vix idonei videantur, qui cum priſcorum mulierculis, aut pueris elementariis in palæſtrâ literariâ componantur. Quæ cauſa ſit, quamobrem pueri noſtri in ſcholis ludant, juvenes in foro rideantur. Alius mihi ſidera, & innoxium cœlum vocat in crimen, alius Chriſtianam religionem pœne ream agit, alius mundi neſcio quam ſenectam cauſatur. Iniquiſſimè, quantum ego ſentio, omnes. Quale enim eſt, obſecro culpam hominum in res ipſas conferre? Et quod noſtro vitio commiſſum eſt, quovis relegare potius, quam culpam agnoſcere? Quod ſi ſtudio nobis eſt malorum cauſam, quæ negari non poſſunt, à nobis depellere, quin quic-

quid

quid in vita mortalium accidit mali in Aten Homericam rejicimus? Ego, missis ambagibus, horrendum hoc proluvium, quod adeo fœdum in modum purissimas olim veterum literas confudit, ex parentum indulgentiâ, puerorum desidiâ, & præceptorum quorundam tum adulatione, tum imperitiâ oriri pro virili vobis, Auditores Humanissimi, demonstrare annitar. Interim quam possum diligentissime rogo, ut æquis animis, hanc nostram qualemcunque orationem, quæ profecto ex addictissimo vobis animo provenit, accipiatis. Parum refert benè natum esse, nisi ad naturam honesta accedat educatio. Non functus satis officio parentis, qui genuit modo, nec recte instituit, quod genuit. Ut nunc est, accuratè cibum, quo parvulorum corpus nutriatur, prægustant nutrices; quid in animum ac pectus illorum, infundatur, non attendit proh dolor! pars maxima parentum. Ita rudis illa & innoxia ætas, bonis disciplinis a naturâ data, antequam vitia intelligit, iis inficitur, quæ deinceps magno nostro malo, cum dedisci non possint, omnem per ætatem sunt tenenda. Candida lana semel atris venenis tincta, omnia ut facias, nunquam referet pristinum colorem. Diu, imo semper, illum odorem testa, quo recens fuit imbuta, servabit. Ex corrupto semine frustra exspectes lætam segetem.

Si quis cogatur docere camelum ſaltare aut aſinum fidibus canere, nonnè illum, qui fruſtra maximum ſumat laborem, egregiè dicas miſerum? Multo id tamen tolerabilius, quam delicatulos iſtos, qui in primis illis annis omnia ſuo agere jure, ridere parentum caſtigationes, ſalutaria monita contemnere domi didicerunt, docere jugum diſciplinæ pati. Nam ut in aſino aut camelo inſtituendo nihil promoveas, tamen nullâ tibi injuriâ ærumnabilis iſta moleſtia cumulatur. At hi belli pueri, cum ſtrenuè ſuos præceptores exercuerunt, quam ſunt inſuper in illos contumelioſi! Malè opinari de magiſtro res adeo eſt pervulgata, ut ludus & jocus habeatur. Invenias, qui palam miſerum poſticâ ſannâ deridere, aut facere illi convicium auſit. Hos mores unde habeat, nolite quærere. Domo ſecum, ut dixi, attulit, nihilo ante reverentius tractare parentes ſolitus. Peſſima hæc conſuetudo, adeo paulatim in pueri naturam vertit, ut emendari nullâ ratione, omnem quamvis lapidem moveas, jam queat. Rogo vos, quid eſt, ſi non hæc miſeria, perpetuis curis & labore in docendo conſumi & enecari? Deinde pro tuis meritis etiam ludos, deliciaſq́, & quidem puero, fieri? Si queratur apud parentes de hâc intolerabili nebulonis inſolentiâ, væ illius ætati! affirmato vultu omnia negabit, & ultro de infandis facinoribus, quorum ne in men-

mentem quidem unquam homini venerat, præceptorem accusabit. Perorata ubi causa est, ecce, a domestico judice absolutus, innocens, si Diis placet, pusio ingenti fastu triumphat suum magistrum, & in posterum, quasi insigni affectus injuriâ, id laborat unum, id studet, quo ille, cui animam debet, uratur. Ita leve amicum, æs alienum grave hostem facere solet. Taceat Arcadicum illud pecus, ærumnas suas apud Jovem in Æsopi apologis queritans: Querela præceptorum de suis miseriis, si res ad calculos vocetur, longè est justior. Correctionis initium est cognoscere culpam: quomodo revocabis ad bonam mentem, qui vitia sua non agnoscit? Hos tamen tam molles, & indulgentes, hos simiolos, qui arcto nimis complexu fætum suum enecant, ita properare videas ad vota, pia quidem, sed improvida, ut etiam spes suas donent ambitioni, hoc est, ad lapsum impellant, dum festinare cogunt, & eloquentiam, ad quam omnigena requiritur doctrina, à pueris efflagitent ad huc nascentibus. Veterum Paganorum umbris, o Dii, Elysias auras, & immortalia gaudia amæni illius campi, qui severâ lege proficere suos pueros, & sancti parentis loco coli voluerunt præceptorem. Audite veram, sed multis non credundam vocem. Fœnum Græcum, ut observant rei herbariæ studiosi, quo tractatur pejus, eo provenit melius:

 ita

ita liberi veſtri,quanto habueritis eos indulgentius, tanto minus valebunt, neglecti vero & vexati viri evadent. Adde jam huc, adde hanc mage majorem miſeriam, quod quas nos ad cœlum ferimus literas in ſcholâ,eas domi a parentibus, quorum potior eſt apud pueros auctoritas, audiunt, quod parum addant rationibus, contemni. Quamobrem hoc à brutiſſimis illis hominibus, à marmoreis illis ſtatuis fiat, quæritis? Nullâ aliâ de cauſâ, quam quod omnem humanitatem ignorent. O contemtores,ſervum pecus, quos vel ipſi derideant boves! At non mirum facitis, quod contemnitis, mirum facturi, ſi magni faceretis. Verè illud, ut cœtera, princeps ille Peripateticorum: Scientiis niſi inſcium neminem eſſe inimicum. Non gallus miratur iaſpidem, non ſues declectant roſæ, non pictura ſimiam, non juvat lippum lux, non placet Midæ cantus Apollinis. Cur inepti auriculas veſtras aſininas ultro proditis, vel Midâ patre ſtultiores, qui celare ſtuduit? Cur non potius quorundam calliditatem imitamini, qui laudant, ut ſcire videantur? Cur ſaltem non tacetis,ut Philoſophi putemini? Scilicet quod ipſi per ignaviam deſperatis, aliis invidere pulchrum arbitramini. Ringite, latrate, quantum vobis ilia valent, non tamen efficietis, quin umbræ ſemper iſtos ſermunculos veſtros & rumuſculos ſimiles ducamus.
Ut

Ut enim crescente umbrâ, vel decrescente, corpus tamen ipsum, cujus illa est umbra, neq; crescit quicquam, neque decrescit: Ita nec meliores nos reddimur, dum a vobis laudamur, nec pejores, dum vituperamur. Quo, inquiunt literæ? Amor ingenij neminem unquam divitem fecit. Quo, inquam ego, virtus? Ad nos ipsos, & hæc interna; ipsa sui merces est : Non etiam ad externa? etiam, sed cum voluit potentior illa Diva, quæ cæcâ sæpe, aut nullâ mente, quandocunque & quoscunque libitum est, eligit atque extollit. Malè res humanas novit, qui merita hominum appendit magis, quam fortunam. Interim firmiter vobis persuadete, gloriam non alio, quam hoc vehi pennato curru: virtutem non aliis, quam his literarum alis evolare in immortalitatem. Sed vilior algâ vobis virtus, ut audio, nisi res adsit. Quin docetis ergo plane Merculiater vestros pueros, ut quidvis divinis studiis amplecti malint, Petronianam hanc cantilenam?

Qui pelago credit magno se fænore tollit ;
Qui pugnas & castra petit præcingitur auro ;
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro ;
Et qui sollicitat nuptas ad præmia peccat :
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi linguâ desertas invocat artes.

Ite jam, cives mei, miramini, cur juventus hæc lucri Deum potius sectetur, quam Ciceronem; cur ad Ia-

num medium frequentior, quam in Gymnaſiis conſpiciatur; cur liberalibus omnibus diſciplinis grandem auri maſſam ducat pulchriorem. Hanc eſſe videt, quâ pater omnis, & patruus, quâ pia matercula ſtupeant; hanc ſolam, cur adeo, ut bibere cuminum videantur, palleant; hanc, cur tot noctes agant inſomnes. Suas ſibi, Commilitones, habeant divitias divites, ſua ſibi regna reges; nobis ante omnia vera virtus, & eruditio placeant. Hæc immortalia animi dona rebus omnibus antiſtant. Ut ſol minora obſcurat lumina, ita reliqua ad virtutis & doctrinæ commoda nihil habent momenti. Penes quem hæc ſunt, ne quidem cum perit, perire poteſt. De virtute quæritis? Ejus præſidio nemo non cum Ulyſſe ſpecus Cyclopis introeat, ſed egrediatur, ſolis boves videat, ſed abſtineat; ad inferos deſcendat, ſed redeat; Scyllam præternaviget, nec abripiatur; Circes poculum bibat, nec mutetur; ad Lotophagos adeat, nec maneat; Sirenes audiat, nec accedat. De eruditione? quod in ſenſibus eſt viſus, in animâ mens, in virtutibus juſtitia, id in rebus humanis eruditio. At nulla, ingeminant iſti coccyges, nulla propoſita eſt merces eruditioni. Ego vero ne deſidero quidem mercedem, quoties id ipſum, quod agitur, ſui eſt merces. Ergo, ſi comœdia in theatro agetur, aut tragœdia; ſi gladiatores in foro committentur, omnis ſtatim eo popu-

lus

lus confluemus ſpectatum, nullâ illecti mercede: Naturam vero ipſam rerum ſpectare gratis non poterimus? Gratis complures eſſe malos & pravos videas; nos gratis eſſe boni & eruditi non ſuſtinebimus? O falſos nos Chriſtianos, ſi iſtis nos moribus velimus moratos! Etſi inſtar illud Dei, quo amiſſo, ex divitibus pauperes, ex felicibus facti ſumus miſeri, quâ in re? nonne in juſtitiâ & ſapientiâ conſtitit? Id ſi renovare, quantum in nobis eſt, conemur, quis ampliora ab ullo unquam prabeutâ tulit athleta, quam nos à Deo noſtro præmia feremus? Deſinant ergo dicere iſti artium oſores, ſapientiæ nos ſtudiis gratis operari. Atqui non doctis, inquit adverſarius, ſed innocentibus promiſſa eſt immortalitas. Num idcirco damnabor, ſi Divi Pauli ſcripta parum ſublimiter intelligam? Quid ſi Hieronymianam dictionem non capiam? Quid ſi Auguſtini & Ambroſij ſcripta ne legerim quidem? Quid ſi ne Euangelium quidem intelligam? Stolide: imo quid ſi nec te ipſum intelligas? Quid ſi caballus ſis, non homo? Confide, etiam pecora cœlum obtinebunt. Hominum profecto genus non modo ſtolidiſſimum, verum etiam impium. Atque utinam Chriſtum benè ſcirent, qui ſe gloriantur nihil ſcire literarum. At ſæpe fit, ut qui in literis ſimplices haberi volunt, in rebus mundanis ſint aſtutiſſimi nebulones: Sed cum his nunc pugna mihi non eſt. Ad propoſitum revertamur.

tamur. Præceptores illi, quibus doctrina (ut de virtute taceam) qua nihil esse majus volentes nolentes fateri jam debent, carissima illa pignora imbuenda committuntur; illi animorum parentes, qui affectus puerorum mitigant, frangunt indomitos impetus, molliunt, & ingenium non sinunt esse ferox; quorum operâ mentis caliginem, quæ nascentium individuus est comes, discutiant, & ad primigeniam illam sapientiæ lucem deducantur; illi, inquam, præceptores, quo plerumque loco habentur? Mancipiorum mehercule. Pluris hodie Gnatho est aliquis, quam Plato, nequitiæ, quam artium, gulæ, quam virtutis magister; qui canem bellum adducat, quam qui librum porrigat eruditum. Queritur Satyricus, quod doctos tantum divites, ut pueri Junonis avem, admirentur. At hodie ridentur, qui elegantium se literarum ferunt amantes. Novisse Græcè nimis est pædagogicum: Pędagogicum etiam eo more loqui, quo locutus est Plautus, aut alius aliquis veterum. Criticam siquis velit attingere, hoc est, censoriam illam doctrinam, quæ omnis antiquitatis accuratam desiderat cognitionem, caput audiet vix sanabile tribus Anticyris. Scilicet omnes auctores tam Græcos, quam Latinos veteres habere cognitos: emendare in illis loca, quæ ab exscriptoribus, ut fieri solet, corrupta sunt: Codices editos cum membra-

naceis,

naceis, ac manuſcriptis conferre, quod hiulcum ibi reperitur, ſæpe membranarum ope, ſæpe ab ingenio ſupplere; quæ mendoſa paſſim occurrunt, ſedulò emendare, quæ tranſpoſita reſtituere, vera & genuina firmare, falſa, & à gloſſariis inſerta, notare, rejicere; denique cenſuræ munus in re literariâ exercere, dementia eſt his dementibus. Quid facias talibus? furore Andabatas, clamore Stentorem Homericum, multitudine vel Xerxis copias ſuperant. Contemnas illorum contemptum: ſolida eruditio ſe ipſâ contenta eſt; ſuo ſe pretio, non aliorum opinione metitur. Sinas illos pari ſtoliditate, & alienam contemnere doctrinam, & ſuam admirari ruſticitatem. Quis enim non rideat, ſi limax equi velocitatem contemnat? Si noctua aquilæ, ſi talpa capreæ rideat oculos? Si pſittaci colorem corvus deſpiciat? Per anſerem, ſi Jupiter eſſem, exclamaret Socrates, ego omnes iſtos, qui iſto ſunt ingenio, in aſinos verterem & camelos. Sed mitto adultos, ad pueros redeo, quibus nullas eſſe cenſet Plato belluas intractabiliores. Quam verus es optime Athenienſium! Ah! quot Leones, quot Sues, quot Antæi, quot Geryones, quot Diomedes, quot Neſſi inter illos inveniuntur! Jure deceptum eſſe Satyricum affirmes, cum nihil ulterius eſſe, quod moribus adderet poſteritas, dixit; ſtetiſſe omne in præcipiti vitium.

Neque

Neque enim dici poteſt, quanta vitiorum, quæ memorare hic nihil attinet, nuper adeo facta ſit acceſſio. Omnia dixi, cum periiſſe nobis, quæ tam a majoribus religioſè colebatur, diſciplinam domeſticam dixi. Illam cum amiſimus, periit una omnis nobis in pueris præceptorum, parentum, imo Dei ipſius reverentia. De præceptoribus quid mirum ? Eos perinde, ut literas, acerrimè, velut ſuos carnifices, oderunt. Enarrat aliquid Magiſter? Ecce delicato pupulo ſomnus obrepit, & ſecurus, dum ille ſe clamando diſrumpit, in utramque dormit aurem. Expergefactus jubetur animum adjicere ad ea, quæ traduntur; verum οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Foris eſt animus tanquam in alio terrarum orbe, in ganeis, in aleâ, in pravorum ſodalium conventiculis. Tantum abeſt, ut ſepire aliquid memoriâ ſtudeat, ut etiam legem, quæ de conviviis olim apud Græcos jactabatur, odi memorem compotorem, ipſe paululum detortam de ſcholis latam cenſeat; & non in æs inciſam, ſed animo inſculptam circumferat, odi memorem diſcipulum. Repetuntur heſterna dictata? Noſter ille mutus, malus, magnus piſcis, tantum reddere poteſt, quantum ille, qui ne fando quidem ea unquam audivit. Ordiri ergo rurſus cogitur miſer præceptor priſtinam illam cantilenam, nec ſemel repetere, donec tandem aliquando trunco iſti

unum

unum aut alterum hæreat verbum. Unde, dicat a-
liquis,in tenellis iſtis ingeniis tantus literarum con-
temtus,tantum odium ? Dicam protinus:in his oris
maximam partem ex divitiis,quas crebro,cum igno-
rare longè ſatius eſſet, ipſis cantant materculæ. His
ſtrenuè abſumendis parare ſe malunt, quam hone-
ſtis animum exornare diſciplinis. Nam ὅιοι νῦν βροτόι
εἰσι, liberale illud noſtris moribus, & elegans ; hoc
ſordidum & plebejum. Nitetur contra torrentem,
qui hanc puerorum animis extorquere perſuaſio-
nem laborabit. Præceptorum verbis nullam ha-
bent fidem:contemptim de illis loqui ipſos ſæpe pa-
rentes, & magnificè illis ſe facinoribus, quibus ſuos
olim magiſtros exagitaverunt, efferre audiunt. Vi-
diſtisne, obſecro, unquam mulieres iſtas, Viri Del-
phenſes, quas ſe & ſua neſcire, alios & aliena ſpe-
culari narrant poetæ ? Negatis ? Atquì tamen ſunt
in Hollandiâ,& præſertim in pagis,frequentes : ve-
rum perſonatæ incedunt,homines credatis ? Lamiæ
ſunt. Harum opera in pueris erudiendis, cum ſint,
qui in modum capiantur,quid mirum adoleſcentes
interdum diebus ſuis ſtultis reddi ſtultiſſimos ? Hæ
magno conatu cum magnas nugas, & meram ſtul-
titiam diſcipulos perdocuerunt, & rudia iſta inge-
nia, ceu inanes utres, inflarunt, Dij boni, quo cla-
more & applauſu illarum labores celebrantur !

Cum

Cum dignæ illis una tantum ratione, ſi culleis inſutas, cimicibus & pulicibus differtis, præcipitares in mare vicinum, gratiæ referrentur. Non enim floſculum illum tantum ævi, qui tam cito nobis exareſcit, ſine fruge decerpi ſinunt, ſed ita peſtiferis ſuis moribus juvenum penitus animos venenant, ut nulla in poſterum ſalutaria admittant conſilia. Gybſum etiamſi jam induruit, tamen tundi rurſum & in farinam poteſt reſolvi: ſimulatq; ſemel ætate vitiisque adoleſcentis induruit ingenium, nullâ unquam arte poterit refingi. Fungi præ his lamiis & cucurbitæ, ipſorum parentum judicio, qui recta monent, & dolos illarum, atq; aſtutias detegere aggrediuntur. Scilicet veri mordacitatem non ferunt molles iſtæ auriculæ, jam adulatoriis nimium harum peſtium blandimentis ineſcatæ.

Vos, optimi Adoleſcentes, qui laudabili ardore ad bonas literas properatis, ite vos, quo veſtra vos virtus vocat: ite pede fauſto. Ad humanas diſciplinas plenis velis rapimini, ſed facite caute navigetis: ſcopulos habet iſtud mare: aurum & ſmaragdos habet iſtud nemus: ſed, per Deum immortalem, cavete vobis à veneni radicibus. Diſcetis egregias artes, ſed ita demum utiles, ſi parem adjunxeritis probitatem, ſine eâ aut parum ex uſu vobis futuras, aut etiam peſtilentes. Cavete ne ſic illis ſtudeatis, ut recti vobis cura recedat. Laborate non minus meliores eſſe, quam doctiores. Bona eſt ſcientia, charitas melior: utramq; alteri ſi comitem adjunxeritis, rem abſolutam conficietis.